

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Cothmann

**Programma In solemnibus Exequiis, ... Elisabethae a Passowen, Viri ... Joachimi  
Lowtzowen/ haereditarii in Levetzow/ relictæ viduae, Publice propositum**

Rostochii: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776216813>

Druck    Freier  Zugang



Cothman, J.,  
in  
**E. á Passow,**  
uxor. J. Lowtzow.  
Rostock, 1627.

15.







PROGRAMMA  
In solemnibus Exequiis,  
*NOBILISSIMÆ OMNIQÆ VIRTUTUM GE-*  
*nere exornatissime fæmine,*  
**ELISABETHA**  
à PASSOWEN,

*Viri quondam Nobilissimi maximèq;*  
*strenui,*  
**JOACHIMI Lowkowen/ hære-**  
**ditarij in Lebeckow/ relictæ**  
**viduae,**  
*Publicè propositum.*



**ROSTOCHII**  
*Excusum in JOACHIMI PEDANI Typographia.*  
*Anno M. DC. XXVII.*

RECTOR  
Academie Rostochiensis  
**JOHANNES COTHMAN**  
S. S. Theologiæ Licentiatus  
& Professor.



Eus cunctos homines vult servari & ad agnitionem veritatis pervenire, hinc mandat omnibus ubiq̄ hominibus ut resipiscant, eō quod statuit diem quo justè judicaturus est orbem terrarum. Non enim quosdam solum dilexit, sed totum mundum favore tanto prosequutus est, ut filium suum dilectum, unigenitum & proprium illius gratia in acerbissimam mortem tradiderit. Hęc quamvis prævia sacra scripturā de beneficiis his spiritualibus rectissimē dicantur; corporalium tamen longe dispar ratio; ibi namq; divisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus, dividens peculiariter unicuiq̄ sicuti vult. Quemadmodum enim macrocosmus non unius splendoris, virtutis ac operationis stellas tenet, verum stella, dicente quoq; Apostolo, stellæ præstat decore, unde rerum naturalium indagatores stellarum fixarum numerabilium sextuplicem ratione quantitatis constituunt differentiam, nec in illa solum, sed & in configuratione & Asterismis, tum & in ipso situ diversitatem querant: ita de microcosmo idem Affirmari posse, prævia oculari experientiā, contendens. Alia enim ratio personarum illustrium excelsis montibus ac cedris sublimibus in codice sacro quandoq; assimu-

assimulatarum, disparq; conditio, ac dignitas alia, aliorum hominum inferiori loco prognatorum. priores naturali quapiam inclinatione ad excolendam virtutem (quæ veræ nobilitatis fundamentum est) propendent. Fortes namq; creantur fortibus & bonis. Est in juvencis, est in equis patrum virtus; nec imbellem feroce progenerant aquilæ columbam. Unde rectè dicitur:

In sobolem transire solet, cum semine virtus.

Prærogativam hanc accuratiore lance ponderantes invictissimi Imperatores, iis qui in dignitate constituti sunt excellentiori, certa privilegia & notas quasi, quibus à vulgaribus discerni queant hominibus clementissime indulserunt, quæ inter insignia certis personis ac familiis collata, ad Nobilitatem obsignandā publicitusq; testandam ceu adamantis coruscantis eminent. Insignia enim, dicentibus politicis, sunt veluti signa Hieroglyphica breviter & compendiosè aliud quod non videtur significantia, ad memoriam ecrundem, qui quippam egregium simile vel proportionatum demonstranti. Signo gesserunt: vel ad distinctionem familiarum, vel personarum signa particulari causa & voluntate conficta. Cogitare hic aliquis posset, si hæc nobilium ratio, ut non solum ab ipso Deo & natura, sed & ab illis qui post Deum superiorem non agnoscunt, Imperatoribus scil. invictissimis tantis excellentiis, ac privilegiis condecorati sint, ergo ne etiam vitæ hujus inconstantiae ac fragilitati subjacent? Quibus cogitationibus gentiles spem resurrectiōnis ad vitam non habentes respondent: omnes una manet nox, & calcanda semel via lethi. Neq; ulla est, aut magno aut parvo lethi fuga, nam:

Tendimus huc omnem metam properamus ad unā  
omnia sub leges mors vocat atra suas.

A 2

Et

Et ita quidem ut dicente sapientissimo seneca: Fata non  
seruent ordinem inter senes. & juvenes. Nam omnium  
& singulorum, cujuscunq; ætatis, dignitatis, status & ho-  
noris, extrema tandem clausula est:

Longius aut proprius mors sua quemq; manet.  
Ita se rem habere hodiernus funeris apparatus testatur,  
dum Nobilissima omnibusq; virtutibus sexum feminineum  
condecorantibus ornatissima fœmina ELISABET à Pas-  
sowen/Nobilissimi quondam, maximeq; strenui JOACHI-  
MI Łowżow/ p. m. hereditarij in Łevehow/ relictæ vidua,  
terræ omnium nostrum matri reddetur. Quæ majoris  
securitatis causa, ad avertendas, militum incursions,  
ac præcavendas direptiones (postquam ante dìgressum  
cœna Dominica, quæ dicente Bernh. ægris medicina,  
peregrinantibus via, debiles confortat, valentes dele-  
ctat; languorem sanat, sanitatem conservat &c. resecta  
esset) 8. Auguſti anni currentis hue appulit. Et quamvis  
per Dei gratiam, illâ fugâ Martis ferocissimi violentiam  
averterit; truculentissimam tamen Mortis manus obscu-  
ras devitare non potuit. Ut verò more recepto genea-  
logiam persequamur nata est pia defuncta nostra anno  
Christi 1601. 12. Decemb. ac 14. ejusdem per lavarum  
Baptismi renata. Nata verò non ex proletariis aut infi-  
mæ fortunæ parentibus, sed ex primaria & generosâ  
PASSOVIORUM familia. De qua illud Platonis, com-  
modè dici potest: magnificentissimum liberorum the-  
saurum in parentum virtute & gloria esse positum. Unde:  
poëta recte cecinīt :

Non tamen infiior claros habuisse parentes  
Esse bonum, & claro nasci de sanguine. Namq;  
Hoc vere pulcrum atq; bonum ; prosumq; parentes.

Auxilio

Auxilio exemplis, hortatibus, efficiuntq;  
sæpe sui similes natos, &c.

Patrem habuit virum Nobilissimum ac strenuum,  
**ADAMUM** à PASSOW p. m. hæreditarium in Schne &  
Vitegast, qui anno 1616, ex hac ærumnarum valle in cœ-  
lestem patriam, ubi verum Christianorum est noster, <sup>m</sup>igravit. Mater illi fuit **ANNA** à PLESSEN matro-  
na Nobilissima, omniq; virtutum cumulo, condecorata,  
præsertim rei œconomicæ gerendæ, peritissima, quæ ad-  
huc Dei gratiâ superstes obitum filiæ inopinatum cali-  
dissimis, lacrymis persequitur. Avum paternum habuit  
**MATTHIAM** à PASSOW. Aviam paternam verò **AN-  
NAM FINEKEN**, GUNTERI FINEKEN hæreditarij  
quondam in Carow filiam. Avus maternus fuit **Dieterich**  
von Plessen/hæreditarius in Bülow; Avia materna **ANNA**  
**HOGEN** à **GEORGIO HOGEN**, hæreditario quondam  
in Jinstorff prognata. Hæc Hogiorum familia in hoc Du-  
catu olim fuit famigeratissima, verum Deo ita disponen-  
te plane jam extincta est. Ab his Nobilissimis ac lau-  
datissimis majoribus infinita & continua serie ulterius,  
si opus esset, deducendis, piè defuncta nostra recto ordi-  
ne genus & originem dicit. Quorum singulorum lau-  
des & res gestas, cum angusta hæc pagella non capiat, li-  
cet vel rerum summas paucissimis delibemus, illud ge-  
neratim indicasse hac vice sufficiat, prosapiam **PASSO-  
VIORUM & PLESIORUM** perantiquam esse & præ-  
stantissimam. Unum autem silentij velo obtigendum  
non est, avum defunctæ nostræ maternum **Dieterich** à  
Plessen/cujus supra mentio injecta, hominem raro Nobi-  
literis exemplo literatissimum, latinarum tum & Græca-  
rum literarum peritissimum fuisse, ideoq; Illustrissimis.

A 3

prin-

principibus charissimum. Unde permotus Illustriss. & celsissimus Dux ac princeps Dn. U L R I C U S, &c. beatæ memorie, in numerum consiliariorum aulicorum illum ascivit. In quo munere obcundo, talem se præsttit, ut semper laudabilis consiliarij partes sustinuerit. Inter alia vero commendatione dignissima ac heroica facta hoc non postremum est, quod prudenti consilio cum cœteris sibi adjunctis mediatoribus id effecit, ut tandem civitas hæc  
21. Septembr. Anno 1573. cum Illustrissimis Principibus &c. in gratiam rediret, illiqꝫ pax aurea piorum omnium votis & gemitibus haut dubie sœpissime exoptata, qua per integrum decennium caruerat, publico omnium ordinum applausu postliminio quasi, restitueretur. O utinam Deus hodie ejusmodi pacificatores dare dignaretur, sanè maxima Jehovam laudandi, gratiasqꝫ agendi subministraretur nobis materia. Cæterum ut de collateralibus etiam aliquid dicamus fratres germanos pie defuncta nostra habuit quinqꝫ, M A T T H I A M, DIETERIUM, HARTWIGIUM, CAHOLVM-GEORGIVM, & GVNTERVM, quorum major natu MATTHIAS fatis concessit, reliqui divinâ gratia vitæ hujus usura hodie num fruuntur, omnes adhuc viri juvenes & laudabilium prædecessorum suorum vestigiis insistentes, summo conatu literis & armis decus ac gloriam Nobilitatis adauge anhelant. Expendunt enim secum illud poetæ:

perit omnis in illo

Gentis honos cuius laus est in origine sola.

Placet autem brevitatis studio de uno solū vid. H A R T W I G I O plauca dicere, is postquam in hac nostra Academia mediocres studiorum fecisset progressus, Argentinam abiit ibidemqꝫ studio politico, historico, & juridico fe-

eo feliciter continuato, omnem superiorem Germaniam, Helvetiam, Galliam, Belgum peragravit, & multa scitu necessaria observavit, adeo, ut in patriam redux ab Illustrissimo Principe Dn. ADOLPHO FRIDERICO Dn. nostro clementissimo, dignus judicatus sit, qui in numerum consiliariorum cooptaretur, cui functioni ha-  
stenus non sine laude præfuit, tum & legationes aliquot, in Frisiam, Angliam & Succiam, singulari dexteritate & industria feliciter expedivit, vir non solum ipse literatis-  
simus, sed & literatorum ordinis fautor & Mecænas exi-  
mius. Ut autem ad pie defunctam nostram revertar,  
assuefacta illa est ab ipsis cunis ( nam à teneris assuesce-  
re multum est ) timori Jehovæ, & ut opere demonstra-  
tum daret, pietatem non in ore solum, quod pro dolor  
multis hodie solemne est, sed in corde potissimum radi-  
catam, verbum Jehovæ sedulo meditata est, & memo-  
riæ adeo fuit felicis, imò admirabilis & stupendæ, ut in-  
tegrum psalterium Regij Prophetæ Davidis sine aliqua  
hæsitatione memoriter recitare potuerit. Anno æta-  
tis 20. qui fuit annus Christi 1621. in matrimonium data  
est viro Nobilissimo & maximè stenuo JOACHIMO  
Lowhowen/ hæreditario in Lævhow/ qui cum insuavis sed  
cheu nimis brevi conjugio vixit, clapsò enim à copula-  
tione spacio trimestri obiit, uxoremq; post se gravidam  
reliquit, quæ postea filiolam posthumam ANNAM  
JOACHIMA Madhuc superstitem, matrisq; obitum  
inxpectatum lugentem, enixa est. Mortuo marito  
turturis instar in viduitate potius vivere, manere, & mo-  
ri, quam ad alia vota, quæ ipsi abunde contingere po-  
tuissent, satis honorifica, transire maluit. 24. August.  
ipso die Bartholomei variolis laborare cœpit, & licet  
medi-

medicamenta commoda adhiberentur, indies tamen  
præter opinionem morbus invaluit, ut tandem 3. Sept.  
hora 12. meridiana in vera & ardentí invocatione & ser-  
vatoris Jesu Christi agnitione inter astantium assiduas  
preces animam in manus Iehovæ commendarit, spiri-  
tumq; extreimum emiserit.

Huic Nobilissimæ foeminæ iusta hodie Christiana  
ac solemni pompa Mater, & fratres mœstissimi facient  
proinde qua possum diligentia oro, hortor & monco  
cives Academicos Reverendos, Consultissimos, expe-  
rientissimos & Clarissimos Dnn. Professores aliosq; Do-  
ctores, verbi divini ministros & Magistros, nec non Stu-  
diosos juvenes singulos & universos, ut hora media se-  
cunda in templo Petrino, ad testificandam erga Nobi-  
lissimam P A S S O V I O R V M familiam benevolen-  
tiam, tum ad indicandam simul condolentiam, frequen-  
tes confluere funebremq; processionem honorifica præ-  
sentia cohonestare. Et hoc potissimum tempore, quo  
niisi bellorum strepitus, vastationes, direptiones, &c.  
audimus, D E O clementissimo Germaniam afflictissi-  
mam ac Illustrissimos nostros Princeps, provinciam,  
utramque hujus Vrbis Rempub. supplicibus precibus  
commendare haut deditgentur. P. P. Rostochi sub si-  
gillo Academiæ, 12. Octobr. Anno 1627.












eo feliciter continuato, omnem sup-  
 niā, Helvetiam, Galliam, Belgium p-  
 ta scitu necessaria observavit, adeo, ut  
 ab Illustrissimo Principe Dn. ADOLPE  
 Dn. nostro clementissimo, dignus ju-  
 numerum consiliariorum cooptaretur  
 etenus non sine laude praeftuit, tum & le-  
 in Frisiam, Angliam & Succiam, siquu-  
 industriā feliciter expedivit, vir non so-  
 simus, sed & literatorum ordinis fauto-  
 riū. Ut autem ad pie defunctam  
 assuefacta illa est ab ipsis cunis ( nam a-  
 re multum est ) timori Jehovæ, & ut  
 tum daret, pietatem non in ore solum  
 multis hodie solemne est, sed in corde  
 catam, verbum Jehovæ sedulo medit-  
 riz adeo fuit felicis, imò admirabilis  
 te grum psalterium Regij Prophetæ D-  
 hæsitatione memoriter recitare potu-  
 tis 20 qui fuit annus Christi 1621. in m-  
 est viro Nobilissimo & maxime stenu-  
 Lowzowen/ hæreditario in Lervzow/ qu-  
 cheu nimis brevi conjugio vixit, elap-  
 tione spacio trimestri obiit, uxoremq-  
 reliquit, quæ postea filiolam posthu-  
 JO A C H I M A M adhuc superstitem  
 inexpectatum lugentem, enixa est.  
 turturis instar in viduitate potius vive-  
 ri, quam ad alia vota, quæ ipsi abun-  
 tuissent, satis honorifica, transire m-  
 ipso die Bartholomei variolis labora-



crma-  
 mul-  
 redux  
 RICO  
 qui in  
 ni ha-  
 quot,  
 ate &  
 eratifi-  
 s exi-  
 chtar,  
 uesce-  
 nstra-  
 dolor  
 radi-  
 nemo-  
 ut in-  
 illiqua  
 o æta-  
 a data  
 I M O  
 wised  
 opula-  
 vidam  
 L A M  
 bitum  
 harito  
 & mo-  
 re po-  
 august.  
 licee  
 medi-

032

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.